



57 UHLIG, JODOCH HERMANN. Aurea virtutum catena matrimonialis. (Copenhagen), 1660. 16 leaves. Folio. Boards (dam.). With engraved title, showing 8 circular emblems, the same emblems repeated in the text (cut round and pasted-in).

A very rare emblem book on the eight matrimonial virtues. It has remained unknown to all emblem bibliographers.
Made on the occasion of the marriage between Corfiz Trolle (1628–1684) and Brigitta Rantzau (1641–1696). The Westphalian author studied in Copenhagen from 1657, and became librarian of the Danish Royal Library. The text includes some curious typographical experiments. Two of the poems are in German.
(Slight waterstains; slight defect to one leaf).











ROBORA VINCIT

AVREA VIRTVTVM CATENA MATRIMONIALIS

Per Illustribus ac Generosissimis SPONSIS.

DN. CORNIFICIO TROLLE



Et

VIRGINI Generosissimæ

BIRGITTÆ RANZOV.

Cælitùs Oblata

Sed in Theatrum Nuptiale demum

devotè prolata à


I.H. Vhlich. 12. 7bris A°. 1660.











CATENÆ MATRIMONIALIS PHALECIANA PRÆCENTIO.

ALti jam ſtatis eſt ohe LIBELLE
Silentî, & ſatis eſt ohe morarum.
Quam nuper DEA AMORIS & CVPIDO
Noſtris CONJVGIBVS novis negârunt,
Dat CORNIFICIO DEVS Tiaram,
Et dat RANZOVIÆ DEVS Catenam,
TANTIS CONJVGIBVS diu dicatam.
Alti nunc ſatis eſt ohe ſilentî,
Morarum ſatis eſt ohe LIBELLE.
Vinclum SPONSE Tuum Tibi reliquit,
Sors, quod Ter DEVS OPTIMVS ſpopondit,
Vinclum VIRGINEO dedit pudori:
VESTRIS ergo data eſt CATENA COLLIS,
Et VESTRIS data CORDIBVS Tiara eſt.
Tardarum ſatis eſt ohe LIBELLE
Morarum, & ſatis eſt ohe ſilentî.
Tandem CONJVGII DEÆ DVÆ & SEX
Nexas auriferis ſimul CATENIS
Exporgant patulo manus theatro.
Tandem ſymbola concinent Amorum.
Tandem ſymbola concinent Honorem.
Alti jam ſatis eſt ohe ſilentî,
Tardarum ſatis eſt ohe morarum.

Jam faustis aquilis apumq; pennis
Ingens RANZOVIÆ corona GENTIS,
Nec nostræ minimus PATRONVS AVLÆ
Noster TROLLIADES favore plenus,
Optatam SIBI colligunt Catenam.

Ohe jam satis est ohe morarum,
Ohe jam satis est ohe silentî.

Tot sunt CONJVGII Parerga TANTI,
Quot sunt auriflui Parerga Vincli
VIRTVTES VTRIVSq; CONJVGALES:
VIRTVTES igitur TVÆ CATENÆ
Lethæis minimè prementur undis.

Tardarum satis est ohe morarum,
Et longi satis est ohe silentî.

Seges densior advenit Laborum
Cum major venit Ilias honorum,
Vel vivum NOVA NVPTA pro labore,
Si quando est TIBI redditura munus,
Musæ materies nova est futura.

Ohe jam satis est ohe morarum,
Morarum satis est ohe LIBELLE.

Silentî satis est, satis silentî est.
Quid versas oculos ad umbilicum?
An metam metuis nimis remotam?
Hunc des Æolijs metum Tropæis:
Meta heic proxima CONJVGVM CATENA (est.

Silentî satis ac satis morarum est,
CATENAM cane CONJUGUM LIBELLE.

PHA-

PHALECIA MATRIMONIALIS CATENÆ OBLATIO

Arcano Acroamate

Holocardiaco

tecta.

STel patrolſe gilinx gluborch ſchnetra doſponis inſens,
  Stel fagaronixi busgalis homusio.
Gnol cuſtramus Eſux beſcips dulpetra nequamax
  Gildaris homusio decate ſtel onami.
Gnol cuſtriſus acons Furiulli pogite plino
  Pans Ganubi pliſo Tadila ſcaf hetisis.
Agrax ſtel geperi flinctotide Palfgarepumpſi
  Sperx igis algetomans Afal Avea ſchretuf.
Stul floti dequens bus hollibat Archila floti,
  Afal Avea ſchretuf ſperx Aladingeribunx,

Ad

ANAGNOSTEN.

HOc dum pellegis Acroama ***SPONSE,***
Primas eijcis ultimasq; feces,
Nec ceſſas medias ſequi figuras;
Certè, qui medius Tori vocatur,
Iſtud, ***TERMINVS ILLE, TE docebit.***

CATENÆ MATRIMONIALIS
ANNVLVS PRIMVS
FIDES VERA



EVdemum Philosophum adversus potestatem Dæmonum annulos quosdam Physicos excogitasse, inq; abigendis horum insidiis usurpasse, memorat Aristophanis Scholiastes: sed suis cum annulis male periit Malus Artifex: Meliori annulo theatrum Matrimoniale conscendit insignis VERA & ORTHODOXA FIDES. Illa sui annuli virtute totas exercitus infernalis debellat acies: Illa cuneos Phalangesq; omnes omnium adversitatum perfringit: Crudeles illa Eumenides, dirasq; Chimæras victoriosâ detriumphat manu. O potentem DEAM! ô VIRTVTEM dignissimam! vt in hac MATRIMONIALI CATENA CONJVGIBVS NOVIS ab Apolline præsentetur.

PARERGON. I.

QVæ nova tàm celebri DANORVM FAMA per VRBEM
Tollitur applausu? quis honor? quæ gaudia sunt hæc,
Quæ tantis ARCEM lætantem laudibus implent?
An TROLLI, TE hæc FAMA petit, GENEROSE MARITE,

RAN-

RANZOVIAMVE TVÆ ſociam VIRTVTIS? VTROSq;,
Haud fallor, VOS FAMA petit, VIRTVTIS amorem,
Atq; FIDEM VESTRAM, quæ tàm ſanctiſſima res eſt,
Vt ſine ea haud ſocias inter RESPVBLICA Tedas
Surgat, & univolo ſe jungant lumine REGES.
Illa Parathonias poſt terga liquentia terras,
Excelſis concluſa jugis viridantia tempe
Threïciam ſuprà Rhodopen, ſupràq; nivoſas
Caucaſeas rupes, Riphæaq; ſaxa Boræis
Pervia flaminibus, Mentes conjungit Olympo.
Macte, age, MAGNE CLIENS, FIDEI VIRTVTE potentes
Exere mentis opes; Quisquis TIBI ſanguinis ardor
Prurit adhuc, ſacrasq; TVO ſub pectore flammas
Excitat, ad ſanctam FIDEI converte Tiaram:
Cœleſtes etenim TIBI tunc Zephyritides auræ
Spirant, quando Fides & Divûm Gratia præſtò eſt.
Macte, ô SPONSA! TVA VIRTVTE, FIDEMq; ſacratam
Excole cum SPONSO: FIDEI conſtantia mundi
Robora concutiet, (nam fixa ſuprema Tonantis
Æternant mandata) ſi enim fidoq; pioq;
Corde DEO credens ad montem dixeris, imum
In mare mittere, demerges ſummum in mare Montem,
Et DEVS ipſe jubet FIDENTIBVS Aſtra favere.
Felices! queis ergo FIDES in corde reſedit.
Si TROLLI FIDEM habes, grandi florebis honore,
Et fortunatos vives grandævus in annos,
SPONSA etiam multâ ſe cernet prole beatam.
Si FIDEM habet, STIRPIq; TVÆ nova gaudia fundet.
Felices! queis ergo FIDES in corde reſedit,
Illi etenim Æthereis opibus quandoq; beantur.

Marci. cap. 11.

B PARA-

PARAPHERNALE
MATRIMONIALIVM VIRTVTVM
TROPHÆVM
THORO SOCIALI
AFFIXVM

TRIAS VIRTVTVM
ADESDVM!
RELIGIOSA, CONJVGALIS, ORESTÆA FIDES,
ANIMOSA SPES,
DIVINA CHARITAS,
QVORVM GLORIOSE DETRIVMPHASTIS ANIMOS,
PALLAS
EPITHALAMIO THALAMVM ORNAT.
VIRTVTVM PERGE
OGDOAS
SALVTE AC HONORE
GLORIOSVM HOC PAR CONJVGVM
ÆVITERNVM INSIGNIRE.
TANDEM, EVAX!
ILLVSTRES AC GENEROSISSIMI, AVITA DE GENTE
TROLLIA AC RANZOVIA,
SECVTI CONJVGII LEGES,
CORNIFICIVS ET BIRGITTA,
HEIC ASSECVTI METAM
VIVUNT, GAVDENT, FLORENT.
DEVS FAXIT
FELICES ET BEATI CONJVGES
ÆTERNVM
VIVANT, GAVDEANT, FLOREANT.

CATE-

CATENÆ MATRIMONIALIS
ANNVLVS SECVNDVS
SPES IN DEUM



T*Onate cœli, micate fulgetra, volvite, volvite ab alto fulmina decumanæ periculorum procellæ, in caput ruite imbres, exere furorem Æole, Scyllæi latrate canes, pandite vos antè naufragantium oculos mundi vortices; Hoc fidelissimum* PAR CONJUGUM *vos nihili æstimat. Robur, æs, laurus, navis, anchora, clypeus sunt* EI *sola de bonitate* DEI FIDUCIA. *Hæc est Generosissime* SPONSE, *quæ* TIBI *in tot adversis* PATRIÆ *privatis Publicisq; procellis solatio fuit & auxilio. Hæc est virtuosissima* SPONSA, *per quam vel mille hostium fluctibus obruta in cœlum extolleris; Age igitur Pimplæa, & hanc* CATENÆ VIRTUTEM *innecte.*

PARERGON. II.

PAllas Gorgoneam protinus horrida
Parmam concutiens spicula proruat,
Et conferta novis funeribus gemant
Terrarum juga quælibet.

Quam-

Quamvis SVECIADVM prælia GENTIVM
Vicinos PATRIÆ concutiant lares,
Quamvis in proprijs, heu! reboënt jugis
Ærisfulminei tubi.

Quamvis ſanguineum vibret acinacem,
Munitus tunicâ Mars adamantinâ,
Jungens funeribus funera, qualibus
Squallet terra Polonica.

Quamvis, vt placet hoc cœlicolum PATRI,
Janalis pateat porta frementibus
Bellorum furijs. Titio ſulphuris
Armet peſtiferas manus.

SPONSIS fixa tamen SPES manet in DEVM.
Hoc ILLOS docuit neſcia luctuum
Mens è ſidereis nata penatibus
SPES ſummi ſoboles PATRIS.

I nunc Orce tuum (ſi rabies volet)
Dilata barathrum, dira vome omnia:
Calcat, fixa DEO SPES pia CONJVGVM,
Peſtes ſub pedibus tuas.

Gentis TROLLIACÆ grande Decus TVÆ
Nil, ô SPONSE! TIBI, nil metuas TIBI,
O SPONSA! Invidiæ toxica ſi vomant
Contrà VOS rabidi canes,

Si VOS non clypei mille, nec Ægides
Tutos Palladicæ, non adamantini
Mucrones Siculi præſtiterint rogi,
TVNC VOS SPES PIA PROTEGET.

Laby=

Labyrintisches Nahmzeichen
gerichtet
Auff der Hoch-Adelichen Braut
Hochzeitlichen
Ehren-Tag
Darin der Nahme (Birgitta Rantzovia)
durch alle Ecken den Leser führet.

Biß willkommen / biß willkommen / ô du edler Freuden-Tag / der du m

Ihr hast weg-genommen die ve

Rlobte Hertzensplag/ vnd setz zu

Gentessen geben / was m

Ich troß

Ten kan im Leben/

Phoebg müsse dich

beschrafften/ mein verlos

Ter Schatz vnd ich werden

Auch für deinen Prahlen schmück- vnd

schmücken / biß willkommen hogs

Te Freude / meines Hert

Vnehmen ein den Platz/ den

Ich schon vorlängest h

Ompt s

lein Augenweide f

Zuck meines Hert

Zens högster Schatz/

deiner See

bücken vns wie sich Rosen

vnd mit Bluhmen anger

an de R

RStA

uben bükte N

vnd A

be bißher geschencket zur Morgengabe.

C CA-

CATENÆ MATRIMONIALIS
ANNVLVS TERTIVS
CHARITAS



ÆTna mons Siculus ingentes ſaxorum moles evomit, at Ætna CHARITATIS immanem oris expandit hiatum, ſuarumq; in cœlum flammarum globos eructat: Non ſaxis, non undis, non arena, non telis, non crucibus, vulneribusq; obruuntur hæc CHARITATIS incendia. Vt vibrat alas, vt ungues acuit, vt pullis ſui clypeum corporis obijcit, rabidoq; roſtrum intentat advolanti accipitri ſtudioſa pullorum nutrix? Si tanta es in ratione deſtitutis animantibus, ô Mater & Cuſtos tuorum CHARITAS! quæ & quanta non eris in hominibus? Huc igitur CHARITES properate, ſuperq; SPONSORVM caput ardentiſſimas hujus Ætnæ prunas confeſtim aggregatote.

PARERGON. III.

FRuſtrà prædator rabidus volucrum,
Concavos ungues acuens in altum,
Corpus attollis, ſpolijsq; fauces
Vendere tentas.

CHA-

CHARITAS hoſti valet obviare,
Objicit natis clypeum ſalutis,
Et ſuos ungues acuit, vibratq;
Fortior alas.

Ignis Ætnæos vehemens caminos
Semper exercet, nihil arma poſſunt
Æoli contrà, Zephyrumq; fruſtrà
Mittit ab antro.

Prorſus Aſtræi nihil hic furores
Egerint contrà Siculos caminos,
Imò plus ſævo ſtimulatus ignis
Creſcet ab Auſtro.

Bella Neptunus reparet tridente
Et vadis totum pelagus refuſis
Torvus effundat, nihil his potentem
Sopiet ignem.

Talibus flagrat facibus coruſca
CHARITAS, ſummi ſoboles Olympi,
Imò, queis conſtat, DEA Seraphinos
Nutriet ignes.

Quicquid eſt vivo ſuperabit igne
CHARITAS, vel ſi Furiæ Barathri
Impetant cunctæ, tamen haud nocebunt
Flagra lacertis.

Hæc TIBI virtus, GENEROSE SPONSE,
Hæc TIBI virtus, CENEROSA SPONSA,
Spiritus tradit, licet ipſe VOBIS
Obſtet Avernus.

Exeret VOBIS EA grandiores
Ignium flammas: animata VESTRIS
CHARITAS flabris, dabit altioris
Semen AMORIS.

ECHO

PARANYMPHICA

CAstum hoc CONJVGIVM quod vult DEVS ite agite, *ite,*
Echo
Audin? ſic Divûm Gratia clamat, *amat.*

Prælia SPONSA Tori tandem renovabit, *ovabit,*
Echo
Dum CORNIFICIVS prælia finit, *init.*

Conjugij ridens Fortunam non gemit, *emit,*
Echo
Sic & eam ſuperat dum tolerabit, *abit.*

Ardet Amore meus mihi ſpiritus igneus, *Eius,*
Echo
Exit is è SPONSÆ pectore clamor, *Amor.*

O quam felicis vox hæc eſt pectoris! *oris,*
Echo
Digna cui VIRTVS ſit pia Nais, *ais.*

Ergo SPONSE TIBI bona SPONSA parabitur, *itur,*
Echo
A quâ tàm gaudens excipieris, *eris.*

Neſtoris Ambo annos vivetis, Judico; *dico,*
Echo
TROLLIADES fiat VIR quoq; gnavus, *Avus.*

CATE-

CATENÆ MATRIMONIALIS

ANNVLVS QVARTVS

PRVDENTIA



PReme magicis incantationibus ſerpentem, eumq; ne domitus concidat ac eviſceretur, videbis ad omnis magicæ incantationis vim excludendam, aures caudâ, humoq; obſerantem. Quod ergo ſerpentes robore nequeunt, id PRVDENTIA antevertere nituntur. Ite nunc nervoſi Milones, ite cœlorum bajuli Atlantes, ite etiam, per me licet, toroſi vetuſtatis Hercules, ego VIRVM PRVDENTEM vobis anteponendum eſſe reor: virtuoſior enim non eſt, qui fortitudine ſuâ Leonem expugnat, quam qui ejusdem advolantis ferocitatem SAPIENTER mitigat, vel PRVDENTER evitat. O quàm neceſſaria mortalibus es PRVDENTIA! quis felicitèr actiones ſuas Te ſine ſuſceperit, quis proſperè terminaverit? PRVDENTISSIMIS itaq; Tu Clio SPONSIS hunc PRVDENTIÆ Annulum heic meritò conſecratum offers.

PARERGON. IIII.

RHinocolæſtæi laus æternanda laboris
Ingens Herculeum tollit in aſtra caput.

Fatur in adverſos quantus puer iverit hydros,
Quos ſibi lethificâ miſit Acræa manu.
Therodomantæum quantâ virtute leonem,
Indomitæ dederit præcipitiq; neci.
Fatur & æripedem quanto luctamine cervam,
Cornibus auratis ſtraverit Ipſe ſolo.
Vt Marathonæum calvâ victrice juvencum,
Fuderit, atq; iras preſſerit Ipſe bovis.
Qualis Mænaliam ſubjecerit inde Biſetam,
Laudibus æternis vel ſuper aſtra feras.
Roboris illa quidem laus magna eſt, imò perenni
Sunt digna iccircò Daphnide facta Viri.
Major at Herculeis radiat PRVDENTIA nervis:
Hinc majore etiam carmine digna coli eſt.
Omnibus hæc certas oleas VIRTVTIBVS, extrà
Quas nulla eſt VIRTVS commemoranda, locat.
Vna ſuas etiam Dea cunctis laxat habenas,
Et frenos cunctis contrahit illa ſuos.
Sola ſcientificum pelagus PRVDENTIA tranſit,
Quâ ſine Divinus nil PLATO mentis habet.
Quin & ARISTOTELEM, ſi non PRVDENTIA fundet,
Heſiodumq;, rudes confiteare viros.
Hæc TIBI TROLLIADÆ ſanguen prænobile STIRPIS
RANZOVIÆq; TVÆ ſe locat atq; dicat,
VOBIS illa ſuas PRVDENTI in fronte Tiaras
Ponit, & in VOBIS congeminare vovet.
Accipitote, QVIBVS dignam REGINA CORONAM
Cenſuit hanc, colite hanc, VOS ut {Amore / honore} colat.

SYL-

SYLVA CHRONODISTICHORVM
IN VIRTVTES HVJVS CATENÆ CONCINNATORVM.

gLorIa VIrtVtes ſeqVItVr VeLVtI VMbra qVaDrIgas;
qVIn IgItVr partes has pIe sponse trahIs.

In FIDEM ac SPEM.

sI tIbI sponse fIDes, & spes eſt anChora fortIs,
In terrIs nItI non MeLIore potes.

In PRVDENTIAM CHARITATEM ac PATIENTIAM.

Et sIt aMor patIens, & sIt prVDentIa ſeXVs?
VIXqVe qVeVnt Veſtro fata noCere toro.

In CONCORDIAM.

præVaLet eXCeLLens ConCorDIa DIVItIs aVro,
InqVe noVIs nVptIs paCIs oLIVa VIret.


In PIETATEM.

Vt CVnCtIs trIbVIt pIetas VIrtVtIbVs IgneM,
sIC VaLet & noVIt VInCere VeLLe poLos.

In VIRTVTES CONJVGVM

hæC sVnt VotIVæ VIrtVtIs agaLMata Veſtræ,
LVCeat In Veſtro LVX preCor Iſta LoCo.

CATENÆ MATRIMONIALIS
ANNVLVS QVINTVS
PIETAS



O Cœlum! quid hoc portenti? etiam tui orbes ex ære fuſi, etiam tua nulli ſubjecta corruptioni palatia oppugnari poſſunt & expugnari? ubi jam nubium montes? ubi fulmina? ubi cœleſtium irarum venti? non jam amplius cœlorum cardines ſuâ queunt in humanum genus conſpiratione ſubſiſtere. Jaculum igneumq; bombardæ fulmen cœleſtes muros omni chalybe ſolidiores efficaciſſimè penetrans eſt PIETAS. PIETAS nubes tranſit ipſumq; Deum ad ignoſcendum cogit. Exodi cap: 32. O quam potens, quam fortis es, ô PIETAS! Tun' es illa vigilantium fiducia, dormientium ille cuſtos, ſalus navigantium, vis & conſervatio Rerumpublicarum & Regnorum Fortitudo? quin cum hac bonorum tuorum Spe vadis, novosq; Conjuges foves, ac faves.

PARERGON. V.

VRit VOS PATRIÆ decor?
Vrit conſpicuis pervigil ignibus
Stellati Tholus Ætheris,
Et Lunæ nitidum lumen, & aureis

Fixæ

Fixæ lampades atrijs?

Tàm pulcher PATRIÆ vultus, & ignei
Dulces excubiæ Poli?

AMBOS ſtelliferi luminis HOSPITES
VOS ad ſe rapiet DEVS,

Si quando PIETAS VOS comitabitur,
Et quicquid PIETAS jubet:

Nam vana eſt hominum ſtulta ſequentium
Olim condita fabula:

Clauſos perpetuò ſtare adamantino
Orbes æthereos gelu.

Vox eſt Eumenidum falſa furentium,
Plorantûm gemitus graves

Miſſos Hippotidæ carceribus, neq;
Cœlos tangere lacrymas.

Vox eſt, quam ſtygijs nata paludibus
Demens impietas tulit:

Claudi cardinibus poſſe DEVM Ætheris,
Nec Mortalia cernere.

Cernit planè oculis cuncta patentibus,
Queſtusq; accipit auribus.

Non unam Lycidæ lacrymulam daret
Caſſis ludibrium Notis.

Tanta vi penetrant Æthera lacrymæ,
Perrumpit PIETAS Polum,

Et vincunt gemitus Empyreas domus.
VESTRA ergo PIA VOTA ſint,

Vt ſcandant cuneos Angelicæ Tribus.

PROGRAMMA.

CORNIFICIUS TROLLE. BIRGITTA RANZOVIA.

ANAGRAMMA.

NOBILI FUNCTA ZELO, CORRIGIT ASTRA VIRI.

ANAGRAMMATIS EVOLVTIO.

NOBILI, at egregiâ, *Birgitta*, Cupidinis arte,
ZELO FVNCTA sui CORRIGIT
ASTRA VIRI.

Satyrischer Wieder-Tritt
auff des
HochEdelen Herren Hochzeitters hochadeliches Wappen
In dessen Schilde der Teuffel gemahlet
stehet.

SAget / ey saget wie kan sich das schicken?
Wie wil der Nymphen das künfftig gelücken/

Daß Ihr ein solcher das Hertze berühret/
Welcher den Teuffel im Schilde selbst führet?

Teuffel im Schilde / doch Engel im Hertzen
Bringet der Nymphen das Ehliche Schertzen/

Welcher den Teuffel im Schilde so führet/
Dem wird in Liebe der Engel gerühret.

Drumb sols der Nymphen neast Gott wol gelücken/
Daß Sie Sich freundlich zum Teuffel wird schicken.

CATE-

CATENÆ MATRIMONIALIS
ANNVLVS SEXTVS
CONCORDIA



SCillurus Scytha moriturus, octoginta filijs suis colligatorum telorum dedit fasciculum, jussitq; singulos colligata confringere tela: quod ubi nemo posset, singula tela singulatim eximens, quisq; quodlibet facile fregit. Imago certè ad unanimitatem CONCORDIAMq; æstimandam aptissima! persequere & amplectere VIRTVTEM hanc quisquis cum Neonuptis sapis; hæc etenim utile jucundumq; illud bonum est, quod, Teste Augustino, ita facit unius moris in domo habitare, ut VIR & Fœmina simul vivere & mori exoptent. VOS interea, Conjunctissimi CONJVGES, corporum animorumq; verâ conjunctione fruimini, & bona CONCORDIÆ tranquillissimè possidetote. Eam verò CATENÆ In Polyhymnia VIRTVTEM adnecte.

PARERGON. VI.

FElix ter ille & amplius, quem sospitat
Pax vera MATRIMONII!
Solus potest expertus hujus credere
Dulcedinem CONCORDIÆ,
Et quanta, quamq; pulchra VIRTVS illa sit,
Sub cujus almo vertice

Gra-

Gratum decus perenne nobis germinat:
Repullulanti gaudio
Haud invidenda, ſed vovenda Poſteris.
Nam ſuſtuliſſe quæ poteſt
Princeps Olympi lætiora ſæcula,
Sola in ſinum refundere
Solet ſuävis CONJVGVM CONCORDIA.
Quis contrà ſub DISCORDIA
Non omne naſci cernit infortunium,
Rubeta pullulaſcere,
Jacere REGNA, atq; interire gloriam,
Biculminis Palatij?
Interq; Diſcordes feroſq; Conjuges
Quodvis bonum ſeneſcere,
Rigere FIDEM, SPEMq; conticeſcere,
Et omne cordis gaudium?
Laus vera veræ Fauſtitatis interit.
DISCORDIVMq; CONJVGVM
Omneis in horas duplicabitur malum.
Et hoc, reor, ſcis SPONSE, quod
Annis fuit plus mille veriverbium:
CONCORDIA parvæ ſolent
Res creſcere, at magnæ labi DISCORDIA.
Idem ſcit & RANZOVIA
Tranquilla, concors, & quietis expetens,
Hinc pace MATRIMONII
Et conjugali vult ſuo cum TROLLIO
CONCORDIA æternùm frui.
Noſtros, ut hæc ergò æviternùm ſoſpitet
Salute, SPONSOS, comprecor.

CAN

CANCER RETROGRADVS IN FONTIBVS AMORVM CAPTVS ET PARANYMPHIS IN REPOTIIS APPOSTVS.

CONJVGII mitra ſunt VIRTVS, HONOR, ARDOR AMORIS
Conſcia mens recti eſt ſacra ſuprema mitra

Egregium decet ut præſtes Te hic SPONSE MARITVM
VIRTVTE OFFICIIS & quoq; CONSILIIS

Auſpicium micat & radijs ſe pandit honorum
Fulgida Lux TANTIS CONJVGIBVS propria

Irradians decor hic hæc confert gaudia SPONSIS
Congrua quæ Thalamo haud eripit Invidia

Sacrum SPONSE TIBI nam cœlum hoc præſtitit Ergo
Soſpitet optamus SORS TIBI CONJVGIVM.

CATENÆ MATRIMONIALIS
ANNVLVS SEPTIMVS
CASTITAS



DVm ſuas Lucretias, Suſannas, Penelopes, Sempronias ſuperbè jactitat veneranda Antiquitas, quid Poſteris aliud, quam ſplendidiſſimæ CASTITATIS exempla ſectanda relinquit? quorſum Natura Columbarum admirabilem planè continentiam, àq; Toro illicito abſtinentiam indies obtutibus hominum repræſentat, niſi vt laudabile CASTITATIS prototypon nobis imitandum proponat? Ea profectò PVDICITIÆ laus eſt, ut reliqui mores hâc orbati jaceant, hujus encomio deſtituti conticeant. Cum ergo CASTITAS cæterarum VIRTVTVM omnium cuſtos & conſervatrix inaudiat, Haud immeritò CASTIS NOVORVM CONJVGVM corporibus & mentibus hanc Noſtra CASTALIS virtutem appendit.

PARERGON. VII.

VT colla vernis candida ſurculis
Vallata circum Lilia ſentibus
In aſtra tollunt, nilq; ſpinas
Aſparagi ſteriles morantur.

Acuta

Acuta pungant undiq; ſpicula,
Armisq; ſentes vulnificis premant,
Nil ſpicnlorum vim vel arma
Liligeri metuent nitores.
Caurus procellis irruat horridis,
Crudeliori flet Boreas gelu:
Nil noſtra Lilieta Caurum
Nec Boreæ metuent furorem.
Brontæa ſpargat tela Dieſpiter
Cœlumq; totos Teutonici maris
Effundat imbres: Lilietum
Non poterunt populare noſtrum.
Tantumne flori roboris unico?
Et tanta molli marmora Lilio?
Certè PVDICVM CONJVGVM ora
Lilia ſunt ſuper æra firma.
Hæc in cubili CONJVGIVM beans
Interq; menſas vivere CONJVGVM, hæc
Aſſueta VIRTVS eſt. PVDORIS
Laus igitur ſuper Æthra tendit.
Hæc tàm PVDICI robora CONJVGIS
Hæc tàm PVDICÆ marmora CONJVGIS
Eſt vera VIRTVS CONJVGALIS
Æthereo modulanda plectro.
Nunc, PAR PVDICVM! vos vocat ad Torum
Pudica CYPRIS. Pergite, pergite
Myrtoïdum noviſſe leges,
Et {PATRIÆ / SOBOLEM} generare {PROLEM. / CASTAM.}

NODVS GORDIVS
IN SCIRPO
CATENÆ

Cujus ANAGNOSTES frontem cum fronte reſervat.

VIdunxit vatpach Trolmantis Ligius Vsdam,
Cumpas Rantgeldum Zobore viblis alax!
Vidunxit vatpach ſpondergita ſusquerinecdum,
Vidunxit vatpach ſponderitante Sabax!
Vidunxit vantgrim Noxisgeredontera viblam,
Condextrolliadis Juligeranda Geſis.

DVPLEX
CHRONOLOGICON
ANNVLO CASTITATIS
INTORTVM

AD SPONSVM.

CanDIDa VIX Intèr spInas roſa nVtrIt oDores,
QVos tV VItIferâ VIrgInItate VoVes.

ALIVD

AD SPONSAM.

sItVa,sICVtIoDor VIoLæ eſt,LVX Caſta pVDo-
CVr nonConIVgII Carbo sIt ergo tVI? (rIs:

CATE-

CATENÆ MATRIMONIALIS
ANNVLVS OCTAVUS
PATIENTIA



PRocul hinc, procul omnis Barbaræ immanitatis nævi: quicquid iram, crudelitatem, impatientiam furoremq; spirat à MATRIMONIO procul arcemus. Hîc super mollissimo pulvinari omnis mansuetudinis moderatricem PATIENTIAM in Theatrum Nuptiale deducimus. Ea est, quæ Nos sorte nostrâ contentos esse monet. Ea est, quæ CONJVGUM Toros roborat, quæ nos inimicorum nostrorum æmulationes ac jurgia vel despicere, vel mansuetudine docet comprimere. Quid ergo PATIENTIÆ dono felicius? quid potentius? O Divinam merè VIRTVTEM, quâ DEO maximè conformes reddimur! In hac gaudete Novi CONJVGES, atq; vt eandem Nostra PALLAS huic vestræ MATRIMONIALI CATENÆ admoveat patiamini.

PARERGON. VIII.

PErgat Scylla rapax Siculo latrare profundo,
Et diras vomere unda Charybdes.

Horri-

Horridus inſurgat tumidis Neptunus in undis,
Stagnaq; ſævus volvere pergat.
Lumen Amyntoridis tenebræ Phœnicis opacent,
Quales Rex Pharão tulit olim.
In caput Æolidis mittantur fulmina, & omnis
Cum pelago conſpiret Olympus.
Nil tamen hæc SPONSVM percellent, nil mala SPONSÆ
Hæc vel conglomerata nocebunt.
Quos PIETAS, Quos SPES, & Quos CONCORDIA firmat,
Quosq; FIDES ſuſtentat AMORq;.
Quos PVDOR ac proni CASTO de pectore ſenſus,
Et Regina MODESTIA morum,
Sedulitasve ornat, vel non incauta futuri
Præſagæ PRVDENTIA Mentis.
Et Quorum munit PATIENTIA NOBILE PECTVS;
His ſunt talia marmora cordis,
Vt nihil adverſis videantur poſſe procellis
Jactari, neu fulmine tangi.
Ipſe Deus ſtabili reſidens ſub mente, lacertos
Sufficit, & dat Robora cordi.
Ingentesq; animo Gazas largitur, & aure-o
Incoctum benè Pectus honeſto.
O quam felices Hos poſſum dicere, QVI SE
His TANTIS VIRTVTIBVS armant!
QVI TANTIS GRADIBVS conantur ad aſtra meare:
Nam via Cœli haud tutior ulla eſt.
His etenim medijs Cœlum expugnabitis: Ergo
Hæc VESTRI ſint CONJVGII arma.

SYM-

SYMBOLVM PATIENTIÆ CATENÆ MATRIMONIALI AFFIXVM

E
E S E
E S S S E
E S S E S S E
E S S E T E S S E
S E T E T E S
T E L E T
E L O L E
O L O S O L O
O I G O S X S O T R O
O I G V I N O C A N O S X V X S I T A T I N V E S T R O
O I G V I N O C A N O B X V R V X S I T A T I N V E S T R O
O I G V I N O C A N O B X V R C R V X S I T A T I N V E S T R O
O I G V I N O C A N O B X V R V X S I T A T I N V E S T R O
O I G V I N O C A N O H X V X H I T A T I N V E S T R O
O I G E H X H E T R O
O V E H E V O
C V E V C
O C V C O
N O C O N
I N O N I
V I N I V
G V I V G
I G V G I
I I G I I
Q I I I Q
V Q I Q V
O V Q V O
T O V O T
I T O T I
E I T I E
S E I E S
A M S E S M A
A L A M S M A L A
A L A M A L A
A L A L A
A L A
A

SYMBOLI ANALYSIS.

CRVX HEV CONJVGII QVOTIES MALA CRVX SOLET ESSE!
CRVX SIT AT IN VESTRO CRVX BONA CONJVGIO.

CATENÆ MATRIMONIALIS CORONIS.

OHe jam ſatis eſt, ohe LIBELLE
CATENÆ COLOPHON adeſt CORONIS.
Quam CORNIFICIO dicant MARITO
Noſtræ Pierides novam CATENAM,
Quamq; RANZOVIÆ dicant MARITÆ,
Cui VIRTVS faber Ipſa CONJVGALIS,
Illius COLOPHON adeſt CATENÆ.

Muſarum COLOPHON adeſt CORONIS.
Ohe jam ſatis eſt, ohe LIBELLE.
SPONSORVM CAPITI CATENA TAN-
Summo Cælicolûm favente Rege, (TA
Injecta, atq; humeris CATENA TANTA
VIRTVTVM eſt data MATRIMONIALIS,
TANTIS CONJVGIBVS Tiara digna,

Ohe jam ſatis eſt ohe LIBELLE
TANTÆ nunc COLOPHON adeſt TIARÆ.
Plures virgineas DEAS an octo
Vis ut CONJVGIBVS velim jubere,
VIRTVTVM ſacra conſecrare ſigna?
Vaſtum, prô! nimium petis laborem,
Imò difficilem petis laborem.

Cantatum ſatis eſt ohe LIBELLE.
Poſtremum tenet ANNVLVM CORONIS.
Forte vis validas novi MARITI
VIRTVTES, potiore laude dignas
Vnà cum nitidis SVÆ MARITÆ

Vt

Vt Emblematicis canam figuris ?
Vaſtum, prô ! nimium petis laborem.
Ohe jam ſatis eſt, ohe LIBELLE.
Laborum COLOPHON adeſt CORONIS.
Longè denſior eſt ſeges CATENÆ,
Longè fuſior Ilias honorum eſt,
Longè vaſtior Ætna mons AMORVM eſt,
Quam Noſtra heic potuit Camœna SPONSIS
Parvo claudere Codicis LIBELLO.
CATENÆ COLOPHON adeſt CORONIS.
VIRTVTVM ſatis eſt ohe CAMOENA.
Hoc certum maneat Problema Phœbo,
Noſtras Pierides ſonare laudes
Longè TROLLIADIS MITRA minores,
Ac Noſtram dare CONJVGVM CATENAM
Laudes RANZOVIÆ MITRA minores
Ohe jam ſatis eſt, ohe LIBELLE.
CATENÆ COLOPHON ſit hic LIBELLE.

JESVS
ET
COLOPHON
ET EST
CORONIS.

Vngesaltzenes Reimgerichte
dehm
Hirnhungerigen Momo zu prüfen vorgesetzet.

DJe Welt ist voller Liebes Grillen/
Ein Jeder hat sein eignen Sinn/
daß Newe liebt ein Jederman/
drumb bring ich auch was auff die Straß.
Cupido selbst kompt auffgezogen
mit seinen Köcher/ Pfeil vnd Armbrust/
bringt manches Hertz in schneller eyl
mit an das süsse Liebes Strick.
Es wollen viele nicht gestehen/
Obs Jhnen gleich ist anzugaffen/
daß sie so sehr zermartert sein
von der so süssen Liebes Quaal.
Du selber Momo darffst wol sagen/
daß du in deinen jungen Wochen
gesehen manches Mutterkind
von Lieb an beyden Augen starr.
Vnd wilt dich doch vnschüldig machen/
Man weiß viel besser deine Dinge/
Hör/ was ich sag/ halt her dein Ohr/
du selber bist der gröste Geck.

Spre- - - -tusq; recedes.



